

1538 publicæ Galeonis & navium præfectus, in qua etiam magnum navigium, cui *Barciæ* cognomen inditum fuerat, Nicolao Trivisano præfecto, atque undecim onerariæ naves Venetæ, quatuordecim Cæsareanæ censebantur: ad hæc septem aliæ aderant, commeatibus, atque omni genere militarium apparatusum instructæ. Complures his adjiciebantur biremes, myoparones, celoces, atque alia minora navigia, quæ Corcyræ classi se adjunxerant, ac voluntariorum militum haud exiguum numerum continebant, ut si exacte omnes recenserentur, ducentorum & quinquaginta navigiorum numerum explerent.

Classis Corcyra solvens cum ad Communiciæ portum aliquantisper substitisset, Leucadem versus iter arripuit. Hostes, qui cum classe in Ambracio sinu degebant, nostros Corcyra solvisse, atque in se cursum navigationis intendere per speculatorias biremes certiores facti, inopinato eventu perculsi, in consilio capiendo ancipites erant: exirentne ex Ambracio sinu, nostrisque pugnandi copiam facerent; an prælium detrectarent. Qui tutiora consilia amplectebantur, e statione minime recedendum ajebant, quæ & Prævesæ oppido, & faucium angustis tuta redderetur, atque ex propinquis regionibus commeatibus uberrime confluentibus, percommoda existeret: interim, Christianorum classe vel autumnali tempestate oborta, vel aliis difficultatibus pressa, abeunte, liberum, atque expeditum iter futurum. Sed plerisque barbarico fastu, ac superbia elatis, minime ferendum videbatur, ab iis hostibus, quibus, ut ajebant, semper arma sua gravia, & formidolosa fuerant, ac fuga salutem petere assuetis, terrificâ ostentatione clausos portu teneri: itaque statim exeundum, & prælium cum hoste censerendum; incolumitatem, ac decus non ab incertis, & meticulosis consiliis, sed ab impavidis ausibus petenda. Quis enim diu tutam in eo sinu contineri posse classem certo sibi polliceretur? An non hostes, illorum ignavia conspecta, adoriri, atque oppugnare in portu possent, quo loco neque militum virtute, neque præfectorum disciplina, atque imperio aliquid egregii efficeretur? Chariadenus, quamvis animum intrepidum, ac secundis fortunæ successibus gloriæ avidum, audacia promptum gereret, attamen foederatorum classis